



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Præbendis. Consilium CCXLIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

G. sparis titulus. Neque verò quod dicitur de quasi possessione conferendi conservanda & attendenda ex ultimo statu collationis seu beneficij, d. c. *Constitutionibus*, planè iudicè & ad literam tam stricte accipi debet aut potest, quin veritas proprietatis juris patronatus seu collationis præferri debeat tali quasi possessioni, quoties de illa constat. Tunc ergo statuitur & instituitur demùm ultimæ possessioni seu statui, quando non apparet de proprietate juris patronatus, *Rav. in d. c. Constitutionibus* nu. 9. ut eleganter consulendo respondit Philippus Decius, d. *consil.* 126. In causa Domini Francisci nu. 3. in fine. Quod eodem ultimæ possessioni iterum, in causa est, quod ex præfenti seu ultimæ possessione præsumatur in præteritum eadem fuisse possessionis perseveratio & continuatio; quæ præsumptio comperta veritati merito cedere debet. Vnde etiam est, quod in hoc pun. Ro. Ludovicus Romanus, *consil.* 70. *Visti themate* nu. 13. requirat ut minimum duos actus seu duas continuas præcedentes præsentationes, quæ factæ fuerint de beneficio, de cuius ultimo statu queritur: cuiusmodi præsentationes ex parte D. Guilielmi aut Gasparis non stant; cum constet immediatum prædecessorem D. Gasparis Moers non obtinuisse ex præsentatione D. Commendatoris: & sic non tantum non est præsumptio ex præcedente possessione, sed aperta probatio in contrarium tam veri juris patronatus, quam contrariæ possessionis Domini Abbatis Epternacensis, ad quem D. Gaspar Payen nominatus non est. Cui Domini Abbati nocere non debet, quod duabus novissimis vicibus non contulerit: id enim evenit non ex iure alterius capitulumque Collatoris, sed quod vel in mense Pontificio vacaverint iste Ecclesiæ, vel quod id contingerit per præventiones seu mandatum S. D. N. Papæ, per quas non potest dici turbata possessio Ordinarii Patroni, *Decius d. consil.* 126. nu. 4. & ibi in addit. præsertim Ecclesiastici (ut est dictus Abbas) cum Pontifex cum quolibet inferiore Ordinario facile concurrat; & mandando alicui provideri non tollat possessionem, sed illius exercitium ad certam personam constringat. Ita ut quoque res vertatur nihil occurrat, quod D. Matthæo in obtinenda victoria obesse, vel dictis D. Guilielmo & Gaspari ad eam obtinendam prodesse possit. Quod latiore deductione non prosequimur, cum causa versetur in manibus viri doctissimi; cuius censura & iudicio ista nostra lubenter subijcimus.

De Præbendis.

S V M M A R I V M

Possessorum inter provisos, alterum apostolicè, alterum ordinariè.

1. Possessorum iudicium in beneficiis dependet à iustitia tituli.
2. Possessio beneficij quomodo acquiratur.
3. Beneficium in Romana Curia vacante censetur quando resignatio ibi fit, etiamsi mandatum alibi datum sit.
4. Beneficia in Romana Curia vacantia pertinent ad dispositionem solius Papæ.
5. Collatori Ordinarii manus clauduntur beneficio re-

servationi Pontificiæ affecto.

6. Reservatio Papæ inquit omnem dispositionem Ordinarij.
7. spoliatus beneficio ab Ordinario collato contra reservationem Pontificiam non restituitur.
8. In possessario beneficij probari debet beneficium collatum esse ab habente potestate in.
9. Paria sunt, nullum præferre titulum & præferre inuicem.
10. Beneficia iuris patronatus laicalis sub reservatione Pontificiæ non continentur.
11. Unio beneficij unum unum extinguit & supprimit.
12. 16. Derogatio præfixæ excusat surreptionem, & suspendit unionem.
13. Beneficia omnia quoad Papam sunt manalia.
14. Iuri patronatus laicorum non facile derogatur per gratiam Pontificiam.
15. Iuri patronatus clericorum facilius derogatur.
16. Unio plena quæ sit.
17. Unio beneficij viventi est conditionalis.
18. Unioni derogant collationes quæ postea fiunt.
19. Unionem præsumi facit longa possessio.
20. Unio beneficij permutatio non valet.
21. Status ultimus in beneficiorum collationibus inspicendus: Unia beneficia nominationibus non solum esse obnoxia.

CONSILIUM CCXLIX.

IN causa iudicii possessorij seu manutentionis pendens in Amplissimo Concilio Brabantie inter Christianum van Ermegen Imperatorem, & Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ utriusque sexus S. Gertrudis Nivelensis, eique ad iunctum Dominum Ioannem du Mont Opponentem, super possessione Capellaniæ beatæ Mariæ dicte Dandaville in prædicta collegiata Ecclesiâ, plenissime utrimque disputatum est, non tantum de possessione, sed etiam de iure utriusque partis; ita ut ad petitam causam amplius deductio nec desiderari nec adferri possit. Et quoniam utriusque partis allegationibus ac probationibus discussis, potior nobis videtur causa dicti Christiani Impetrantis, infirmior verò & in iustis adversæ partis turbatio ac possessio, longiore illam utriusque partis in scripturis Advocatorum factam deductionem contrahentes, resecis & omisis his, ex quibus causæ definitio non pendet, ea duntaxat ad memoriam Clarissimorum Dominorum revocabimus, quibus iustitia acquisita & hoc iudicio iustificata possessionis in dicta Capellania ex parte Impetrantis innititur: & rursus iniustitia facta per partem adversam turbationis & oppositionis, quæ Impetranti occasionem confugiendi ad interdictum præbuit, detegitur.

Et primò quidem quia possessio beneficij Ecclesiastici aliquantulum variat à possessionibus rerum profanarum, in quibus à iustitia causæ seu tituli non dependet possessionis substantia, l. 3. §. fin. De acquir. poss. l. 2. §. separata Pro emptores & possessio beneficij Ecclesiastici sine titulo in genere iusto ac sufficiente obtineri, c. 1. De reg. iur. l. 6. c. in iheru. De resist. spoliat. c. 1. De eo qui mittit in poss. vel iustificari non potest, Rota dec. 157. Si quis dicat, alias est 7. tit. de probat. in novis, Phil. Francus in c. fin. De resist. spol. lib. 6. de possessione & iustitia ejusdem in persona Impetrantis tractabimus.

Primum

Primum ergo docuit Impetrans, per Bullam Paulinam de data 1558. 4. Idus Septemb. sibi ex gratia & auctoritate Apostolica seu literis desuper expeditis provisum esse de hoc contentioso beneficio, vacante ex libera resignatione Domini Hieronymi de Hugardis novissimi & immediati præcessoris: sic quod titulum habeat ab eo, qui conferendi potestatem indubitate habet: nam Papa omnium beneficiorum liberam habet dispositionem, c. 2. De præben. lib. 6. Clem. 1. *Ut lite pendente* & c. Docuit quoque ex consuetudine clericali huiusmodi simplicis beneficii esse capacem esse, c. Cum adeo De rescript. c. Ex literis de transact. & utenda gratia Apostolica facultatem per literas Placiti Regia Majestatis sibi permissam esse: † ac deinde vigore earundem literarum ad executionem processum fuisse per Reverendum Dominum Abbatem S. Gertrudis Lovaniensis ad Executores in Bulla Apostolica deputati, qui Impetranti possessionem juris tradidit, mandata ulteriore traditione realis & actualis possessionis, quam Quintinus Macquet Notarius publicus virtute clausula. *Ceterum & c.* in personam D. Stephani Alardi specialiter ad hoc per Impetrantem constituti procuratoris fecit, per traditionem illorum, quæ ad incorporalis huiusmodi juris possessionem acquirendam de jure sufficiunt, *Inol. in d. c. In literis num. 1. & 7. Pet. Anchar. in c. sine possessione nu. 11. De reg. iur. lib. 6. facta etiam debita dictæ Bullæ ac processus fulminati publicatione; facta quoque Dominis de prædicto Capitulo omnium præmissorum insinuatione; adiecta requisitione de viterio ac reali admissione. Sic quod Impetrans non tantum coloratam, sed veram ac iustam possessionem habeat; quæ ad hoc interdictum ei sufficere debeat, adversus eos, qui nullo potiore titulo aut possessione impedimentum in pacifico usu ejusdem beneficii ei faciunt.*

Cujus quidem turbationis & oppositionis injunctitia ex eo apparet, quod neque dicto Capitulo quoad jus præsentis unionis; neque Domino Joanni du Mont virtute assertæ collationis seu provisionis Capitularis (quæ provisionem Impetranti amplius quam sescuanno secuta est, imò pendente hac lite primum fabricata) liceat Impetranti ullum obstaculum facere: dato etiam & concessio, quod dicti Domini de Capitulo ordinariam contentiosi beneficii collationem ac provisionem habeant: id quod ita deducitur. Certum est ex tenore prædictæ Bullæ, † hoc beneficium vacasse apud Sedem & in Curia Romana: quotiescumque enim beneficii renuntiatio seu resignatio fit in Romana Curia, ibi quoque censetur beneficium vacare, etiam si renuntians alio loco domicilium habeat, aut constituto procuratoris ad faciendam renuntiationem alibi facta sit, *glos. V. collato in elem. 1. Ut lite pend. Archidiaz. in c. 2. De præben. lib. 6. Stepli. Bertran. consil. 139. Dudum annum. 1. vol. 7. Paul. Paris. consil. 10. Bonum vis in princ. vol. 4.*

Iam verò omnia beneficia, quæcumque in Romana Curia per decessum vel cessum seu spontaneam resignationem vacant, sunt reservata & affecta speciali dispositioni atque provisioni

Apostolica; ita ut inferior, quisquis ille sit, ad quem cessante huiusmodi vacationis genere & ex ea proveniente affectione collatio vel dispositio beneficii pertineret, ea vice non possit de huiusmodi beneficio vilo modo providere.

* Clausula enim sunt manus illius, propter prædictam affectionem & reservationem, quæ munita est per clausulam decreti irritantis, *d. cap. 2. de præben. lib. 6. Ita quod ab Ordinario contra dictam reservationem & provisionem Apostolicam intra mensem à die vacationis facta, d. c. 2. & c. Statutum De præben. lib. 6. facta collatio vel provisio sit nullius momenti.* * Nam dicta reservatio inficit nedum titulum, sed etiam possessionem illius, cui contra præmissam reservationem provisum extitit, c. *Si eo tempore de elect. lib. 6. nota decis. 14. alias est 2. Fuit dubitatum, & decis. 16. alias 3. Si contra agentem. De rescript. spoliat. in novis, & decis. 475. alias 10. Nota si agenti de causa possess. & propriet. in novis.* * Vique adeo, ut contra hanc reservationem per Ordinarii provisum, & in possessionem inductus, si spoliatur, non obtineat in interdicto recuperanda possessionis; quia exceptio reservationis Papalis inficit proprietatem ac possessionem, *Panorm. in d. c. In literis. nu. 28. Nota d. decis. 16. Lapsus alleg. 24.* Proinde quia ex renuntiatione D. Hieronymi de Hugardis in Romana curia facta, Impetranti statim post renuntiationem ex gratia Apostolica provisum extitit, non potuerunt præfati DD. Opponentes, contra notoriā hanc in corpore juris clausam reservationem jure suo confecti, si quod habuerunt, uti, & utendo dicto D. Joanni conferre ac providere; præsertim post habitam notitiam de dicta renuntiatione & provisione, quam eos habuisse constare ex prædicta insinuatione, postquam pluribus mensibus eundem Dominum Joannem adversarium Impetranti excitantes, eam provisionem fecerunt, quā idem Dominus Joannes in hac causa vitur. Sic quod idem D. Joannes, cum non doceat de iusto aliquo titulo obtento ad eo, qui auctoritatem conferendi habuit, pro iusto contradicere hic haberi non debeat: † debet enim in possessione probari beneficium collatum esse per habentem auctoritatem ac potestatem conferendi & instituendi, *Nota decis. 65. alias est 5. Nota quod ubi quis De rescript. spol. in antiq. quod in proposito casu dicere non potest D. Joannes, quia Domini de prædicto Capitulo pro illa saltem vice jus conferendi aut providendi non habuerunt, nec tempore huiusmodi collationis ac provisionis vacavit hoc contentiosum beneficium, adeoque conferri non potuerit. c. 1. & 3. De concess. præben. † nihilque interest nullum proferat D. Joannes titulum (quo casu certissimū est in possessione eum obtinere non posse, *Nota d. decis. 257.*) an eum proferat, quā invalidus & inutilis sit, l. *Quoties qui satisfacere cogant.* Et hoc est quod expresse ait Lapsus, *alleg. 16. An valet collatio, eum non habere coloratam possessionem, qui habet ab Ordinario, cujus manus per aliquam reservationem sunt ligata.**

Quamobrem in eo non consistunt Opponentes, sed viterius progressi obijciunt unionem, quā hoc atque item alia novem similis conditionis beneficia per Sixtum Pontificem mensē Capitulari

dicunt

dicunt esse unita & incorporata: sic quod neque suo generali illa reservatione contineri, neque per provisionem papae ius unionis tolli posse videatur, nota decis. 370. Nota quod ubi beneficiarius de rebus eccles. non alien. in antiq. * Quomodo nec beneficia iuris patronatus laicalis, in Curia Romana vacanti sub illa reservatione continentur, Cassad. r. decis. 1. sub tit. de dilat. nu. 3. Didac. Covar. Practic. quasi c. 36. nu. 4. ita ut rotā inversā non videatur vacasse hoc, de quo hic contenditur beneficium, *Frieder. de Sensu consil. 200. Quod permutatio nu. 2. imo nec esse beneficium* l. b. titulo Beatæ Mariæ Dandawille, quod virtute Papalis provisionis acceptari poterit. † Unio enim quia annexam incorporationem habet, supprimit & extinguit unitum beneficium, facitque ut nomen beneficii amittat, solumque in consideratione habeatur id, cui unitur & annectitur: sic quod unitum beneficium mensæ numquam vacare censetur, neque ut vacans conferri aut acceptari possit, *Rota d. decis. 270. Ioan. Calder. conf. ult. de rebus eccles. non alien. Paulus Parf. consil. 30. In causa veniente nu. 10. vol. 4. Quā fiducia Opponentēs apertē alligantur hoc beneficium non esse beneficium, sed tantum Capellaniam vicariam incorporatam. Ceterum facillē infringi potest hæc Opponentium allegatio. Et principio dum negant beneficium esse hanc Capellaniam suo contrario facto convincuntur ob id, quod ut & tamquam tale apud eos habeatur ac possideatur, & ipsiomet dicto Ioanni contulerint, id nulla ratione facturi, si verē unitum fuisset. Nam, ut dictum est, unio extinguit & supprimit unitum beneficium, nec patitur idem amplius vacare vel conferri. Ita quod inde certius dici possit, collationem & provisionem Domini Ioannis prorsus esse nullam, quasi factam de beneficio respectu Capituli minimē vacante, & provisionem Impetrantis per omnia esse validam, non obstante etiam verā (si quæ hic esset) unione; ob id, quod in literis dictæ provisionis Apostolicæ huiusmodi unioni sit derogatum, illaque sit quo ad provisionem istam suspensa ad vitam dicti Impetrantis; uti verba bullæ apertē continent, in clausula, non obstantibus &c.*

12 † Quæ expressa derogatio & suspensio a surreptionis & obreptionis vitio excusat Apostolicam provisionem; quā non interveniente periclitari forte potuisset, in præiudicium unionis facta, *Rota decis. 19. alias est 4. Nota quod reservatio de rebus eccles. non alien. in antiq. † Cum enim quo ad Papam omnia beneficia sint manualia, Bald. in l. Rescripta C. de precibus Imper. offer. illiusque in ijs summa & libera sit potestas, cap. 2. De præbend. lib. 6. c. Cuncta per mundum 2. q. 3. Alex. conf. 74. Viso puncto in fine vol. 4. possitque etiam beneficia, Religiosis alicuius monasterij affecta, alijs conferre, quæ tamen per Abbatem alijs conferri non possent, Innoc. Imol. Panor. in c. Nisi essent De præben. Card. Zabarell. in Clem. 1. §. præmissa De supplen. neglig. prælat. nihil mirum, si collatio & provisio Papalis in præiudicium unionis non perpetuo abolenda, sed ad vitam provisi dumtaxat eā vice (ut habent verba Bullæ) suspendendæ valeat: uti consulendo latè atque eleganter respondit Philippus Corneus, conf. 67. Circa secundam questionem*

vol. 3. & à Petro Rebuffo beneficiario practico traditum est, in *praxi benef. tit. de unione revoc. nu. 33. Quæ sola consideratio sufficere posset ad utrumque huius questionis decisionem. † Neque movet, quod ita non derogetur iuri patronatus laicorum, beneficio in Curia vacante: nam laicis, ut ad fundationes provocentur, multa contra regulas iuris sunt concessa, Lud. Gomez. in reg. de trien. poss. q. 31. nu. 19. & inter cetera quod sub generalibus reservationibus Papalibus non comprehendantur beneficia, quæ sunt de iure patronatus laicorum; neque illis ita facillē ex ordinaria potestate Papæ derogari, c. Cum dilectus De iure patron. 10. Monach. & alij in d. c. 2. De præben. lib. 6. Didac. Covar. d. num. 4. * Ideoque etiam sit, quod non eadem sit ratio iuris patronatus clericorum seu ecclesiasticorum, quia eo non obstante eorum beneficia huiusmodi reservationibus subiiciuntur, Doli. in d. cap. Cum dilectus: maius enim in his imperium sibi vindicet Pontifex. Atque ita quicquid iuris habent præfati Opponentēs ex dicta unione, id merē & per omnia tam ex personis quam ex materia ecclesiasticum est, & quidem à sanctissimo Domino Papa, cuius ut est unionem inducere, ita quoque ei arbitrarium esse debet eandē aliquatenus suspendere; * & sic propter prædictam derogationem atque suspensionem effectus unionis, si quis fuit, sublatus est quoad hanc provisionem; Ioan. Andree ad Speculat. tit. de præbendis in 1. addit. Rota d. decis. 370. Cacialupus in tract. de union. in 9. articulo Marian. Socin. nepos conf. 93. Conclusio firmata in prima vol. 2.*

Sed ne dictæ unioni aliquid tribuere videamur, hoc certiore ratione ex rei veritate dicimus, totum commentum & prætextum unionis, cui soli innituntur Opponentēs in re proposita nihil esse curandum: nam unio per Sixtum facta, per subsequenter Innocentij revocationem (quæ omnibus Pontificibus in usu est, Nic. Boer. decis. 346. Sed queritur) effectum suum ad hoc beneficium non extendit. † Ut enim ex unione beneficium supprimitur & extinguitur, atque cum eo cui unitur identitatem faciat ac confundatur, non est satis Bullam Apostolicam impetrasse, sed oportet virtute ejusdem Bullæ suppressionem & extinctionem realem sequi per incorporationem ipsius beneficii & bonorum seu reddituum ejusdem, Boerius. d. decis. 346. Guido Papa consil. 134. Circa processum nu. 5. * Vnde omnis unio, quæ fit ex beneficio vivētis vacaturo, non vacante tempore concessio- nis, est quodammodo conditionalis, ac saltem suspensa in casum futuræ vacationis & apprehendendæ illius possessionis: sic quod illius effectus suspendatur donec verē fiat suppressio atque extinctio, ac virtute unionis apprehensa possessio incorporatio & appropriatio, *Rota decis. 19. alias est 4. nota quod reservatio. de rebus eccles. non alien. in antiq. Card. Zabarell. in ele. fin. q. 9. de rebus eccles. non alienam. Rebuff. in d. tit. de unio. revocand. num. 33. & sic non prius dicitur unio sortita effectum, quam plenissime executioni mandata fuerit, Guido Papa d. consil. 134. nu. 5. Vnde etiam est quod liberior sit potestas conferendi beneficii sola tantum concessione Papali uniti, plena executione nondum sequuta Corneus d. conf. 67.*

Quia igitur ex omnibus allegationibus Opponentium aut ex conclusionibus seu collationibus quas Domini de Capitulo citra datam impetratæ unionis fecerunt, nusquam constat ante prædictam revocationem Innocentij Dominos de Capitulo apprehendisse hujus hinc contentio-
 19 si beneficii possessionem, imò nec interea vacasse, proferantque tantum documentum de illius vacatione contingente anno 1508. nec doceant se illius possessionem jure unionis ante vel post specialiter apprehendisse & suæ mensuræ incorporasse: consequens est quod virtute revocationis per Innocentium alioque sequentes Pontifices factæ, Boerius d. decis. 346. sublata fuerit dicta unio, aut saltem minimè ad effectum & extremam perfectionem perducta; sic quod vacatione potissimum in Romana curia contingente, per Pontificem conferri poterit hoc beneficium, etiam sine expressa & individuali derogatione dictæ unionis.

Quam quidem impetrata pro parte Opponente unionis imperfectionem arguit & illud, quod hoc beneficium, ut verum & proprium separatum quæ, nullique alij annexum, jam sæpius sit collatum non tantum ex vacatione per mortem aut liberam resignationem, sed etiam per permutationem contingente: quæ collatio, ut dixi, unioni repugnat & ad perfectionem consummationem quæ perductam non fuisse arguit. * Ut è diverso ex possessione longiore, quæ unitum beneficium cum principali semper possessum & obtentum ac retentum fuit ab uno
 20 eodemque, nulla separatione interveniente, præsumitur unionis legitima constitutio, Aldrad. conf. 296. de iure domini. * Quam imperfectionem potissimum arguit permutatio per dictum Capitulum in hoc beneficio admissa: nam uniti beneficii etiam ante consummatum effectum unionis facta permutatio non valet, Rota decis. 168. alias 2. de reb. eccl. non alien. in antiq. Freder. de Senis d. conf. 200. nu. 2.

His omnibus hoc addimus, quod in beneficiis Ecclesiasticorum collationibus & provisionibus ultimus illorum status semper attendi debeat, ac hoc, ut percipiat, an beneficia sint libera collationis, an verò non, c. Cum de beneficio & ibi not. de præb. lib. 6. Bald. in l. Si mater. & ibi gloss. C. Ne de statu defuncti. Rolandus à Valle conf. 47. Visu. tribus nu. 39. vol. 1. ita ut si qui novissimè beneficium possedit, ex libera collatione illud obtinuit, libera conditionis in præteritum censi debeat, & tanquam tale conferri iterum possit.

Atque ita cum liquidò constet D. Hieronymum ex libera resignatione, illiusque antecessores ex permutatione obtinuisse; nihil dubitandum, quin & S. D. N. Papa ea forma ac statu attentis, vacans hoc beneficium in Curia Romana conferre poterit. Cum etiam præterea sit quod sibi imputet Opponentes, quod Apostolicâ concessione neglectâ, intra fines unionis non constituerint, & formam in concessione unionis præscriptam non obsecraverint, sed se sic indignos concessione ac privilegio unionis fecerint; atque se potius in priore possessione ve-

ra unionis (si quæ fuerint) turbaverint, imò expulerint, quàm quod in hujusmodi jure aliquam turbationem ab Impetrante passi sint. Possent plura adferri argumenta, quæ dissolutionem hujus unionis, aut potius inutilitatem ex illius imperfectione arguerent: veluti fructuum separata administratio, releviorum usus, aliorum consimilium beneficiorum resignationes ac permutationes. † atque item (quod evidentem habet rationem) de subiectione horum beneficiorum nominationibus Apostolicis studiorum causa Universitatis Lovanienſis concessis, probata per sententiam hujus Amplissimi Concilij in causa D. Jacobi Laurentij; quod nulla ratione permit-
 23 tendum esset, si hæc beneficia verè essent unita, c. cum in Eccles. c. Cui de non sacerdotali de præben. lib. 6.

Sed sunt hæc & pleraque alia per D. Advocatum feliciter tractata, neque longiore refractione indigent, cum in præmissis subvertendi tituli & juris, quo Opponentes ferocunt, satis evidentes ac potentes sint rationes, quæ vitio nullitatis ac injustitiæ planè inscuiunt tam possessionem, quàm titulum Opponentium coniunctim & divisim: nulla in contrarium militante ratione, quæ titulus & possessio Impetrantis simili morbo laborare dici possit. Ita ut Amplissimum Dominorum meliori iudicio semper salvo, existimemus sententiam in hac causa secundum conclusionem Impetrantis per omnia ferendam.

De Præbendis.

SUMMARIUM

Possessorium post resignationem alterius colligantium.

Colligatore, lite beneficii pendente moriente, aut matrimonium contrahente, an jus ejus transmittatur in colligantem vel ei adjudicanda sit possessio beneficii contentiosi.

1. 3. Colligante mortuo colligantis supersuſinſum jus acquiritur.
2. Regula de utrogandis colligantibus.
4. Attentari non debet pendente tempore deliberandi ad appellandum.
5. Appellatione à sententia possessorij intra tempora non interposita, cui possessio adjudicata est, pacificus redditur, si petitorium non sit intentatum.
6. Appellandi tempus quando currit si procurator tempore lata sententia fuit præsens.
7. Restitutio in integrum non tollit ea quæ ante restitutionem legitime facta fuerunt.

CONSILIUM CCL.

L Is mota fuit coram Audientia patriæ & Comitatus Hannoniæ super manutentionia seu possessorio Cappellaniæ sanctæ Catharinæ in parochiali Ecclesia de Hourbes inter D. Joannem de Werchyn Adorem seu Impetrantem, & M. Petrum Cardon Reum Opponentem: in qua lite, post recredentiam seu fiduciariam possessionem dicto M. Petro Cardon adjudicatam, lite contestatâ & terminis probandi constitutis, dictus Dominus Joannes probatione suas non fecit, ideoque ipso ab illis per decretum secluso, obtento congedio (ut vocant) adjudicatum est dicto M. Petro plenum possessorium. A qua sententia seclusionis & adjudicationis